



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XXIII. De adoptione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

videtur recedendum à communiori Doctorum sententia: nam vno hypostatica quæ præbet Christo sufficientem titulum potestatis regie & temporalis in regna mundi, potest eidem tribuere titulum dominij in res singulas; quod dominium non sit humanum, sed excellentius, & medium inter diuinum & humanum; sitque dominium cuiusdam excellentiæ infra diuinum, quod non destruat aliorum dominia, sed illa secum compatiatur: quemadmodum potestas regia in Christo sese compatiatur cum potestate aliorum regum. Et quamuis non sequatur, Christus habet potestatem regiam; ergo habet dominium rerum singularum: tamen verumque potest ei concedi, eò quod titulus sufficiens ad vnum, in illo etiam sufficiat ad alterum. vnde patet responsio ad primam rationem.

Ad secundam Resp. Ioannem 22. nullo modo fauere sententiæ Vasquez; nam omittis quorundam solutionibus, dico quod priori extrau. solum vellet definire Christum aliqua habuisse titulo humano dominij donatione, emptione; quorū vsum etiam habuerit: qua ratione constat non habuisse omnia, nec vllus id asserit; non verò definit quicquam de domino alterius generis, quod citra vsum Christum habuit. Idem est sensus Pontificis in altera extrau. cum in ea solum propugnet quod in præcedente statuerat & definiuerat.

Ad 3. Resp. id verum esse de dominio eiusdem rationis: non verò quando ipsa dominia sunt diuersæ rationis, vt contingit in dominio Christo competente ratione vnionis hypostaticæ suæ humanitatis cum Verbo, respectu dominiorum hominum particularium.

QVÆSTIO XXIII.

De adoptione Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deo conueniat adoptare?

AFFIRMAT. quod in sequentibus explicabitur.

ARTICVLVS II.

Vtrum adoptare conueniat toti Trinitati?

AFFIRMAT.

ARTICVLVS III.

Vtrum adoptari sit proprium rationalis creature.

AFFIRMAT. Circa hos tres articulos Notandum nomen adoptionis translatum esse ab humanis ad diuina. Porro adoptio est liberalis acceptio personæ extraneæ in filium (adde, vel nepotem) per quam datur ius ad hereditatem. Adoptio hæc legibus introducta est ad solatium eorum, qui proles seu filios naturales ex se non valent suscipere; ita vt per hoc medium defectus naturæ aliquo modo suppleatur; quamuis postmodum sit concessum adoptare ijs qui filios procreant.

Dicitur *liberalis* seu gratuita; si enim tribuatur ius alicui ad hereditatem ex debito, vel oneroso aliquo contractu, is non censetur adoptari, sed alio titulo ei competet ius ad bona alterius.

Dicitur *persona extraneæ*; quia persona naturaliter alium contingens non adoptatur secundum eum gradum quo contingit, & secundum quem competit ei ius ad hereditatem alterius; vnde filius naturalis non adoptatur in filium. Addidi *secundum eum gradum quo contingit*, quia nepos potest in filium adoptari, secundum quem gradum est persona atque extranea. Porro persona quæ adoptatur non solum ante adoptionem est extranea, sed etiam post adoptionem remanet extranea adoptanti.

Cum verò adoptio sit quidam contractus per quem adoptatus subditur aliquo modo adoptanti, requiritur vt is qui adoptatur in illud consentiat: qui, si sit sui iuris, debet per se consentire; si verò non sit sui iuris, debet consentire saltem per alios.

Ex his satis constat resolutio articuli primi, quod scilicet Deus aliquos adoptet, cum liberali & gratuita sua voluntate aliquos assumat in filios, quibus tribuat ius ad suam hereditatem, æternam scilicet beatitudinem, ad quam ex naturæ suæ conditione nullum ius habent.

Patet ex scriptura quæ nomine adoptionis in hac significatione vtitur ad Rom. 8. *accepistis spiritum adoptionis filiorum.* ad Gal. 4. *misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* ad Ephes. 1. *prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* De eadem intelligitur quod habetur Ioannis 1. *de diu eis potestatem filios Dei fieri &c. qui ex Deo nati sunt.* & 1. Ioannis 3. *videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.* videri potest Trid. sess. 6. cap. 4. *Adoptat autem Deus cum iustificationis gratiam infundit, vt patet ex locis scripture citatis.*

Constat 2. quod docet S. Thom. art. 3. scilicet solas creaturas capaces rationis posse adoptari, quia illæ solæ sunt capaces diuinæ hereditatis & gratiæ.

Porro omnis creatura rationalis est capax vt adoptetur; & non soli prædestinati possunt esse filij Dei adoptiui, sed etiam præsciti, scilicet pro eo statu quo iusti sunt. Imò peccatores qui sunt prædestinati, pro eo tempore quo sunt peccatores non sunt filij Dei adoptiui, vt constat ex terminis, cum pro eo tempore sint inimici Dei, & si in eo statu decederent, essent in æternum damnandi.

Ex his vterius fit, vt non tantum iusti noui Testamenti sint filij Dei adoptiui; sed etiam iusti veteris Testamenti, licet hi non possent hereditatem adire ante solum pretium humanæ redemptionis, & licet sub lege haberent statum seruilem. Nec obstat quod Christus dicatur venisse vt adoptionem filiorum reciperemus; quia eam per Christi merita receperunt.

3. Ex his fit vt non soli homines sint capaces filiationis adoptiue, sed etiam Angeli: cum etiam hi sint capaces regni cœlestis, ad quod tamen ex vi suæ originis ius non habent, sed ex libera Dei voluntate ad illud assumuntur. Nec obstat quod boni nunquam peccarint, quia ad adoptionem non requiritur vt persona aliquo tempore fuerit per peccatum à Deo elongata; sufficit quod ex sua conditione non habeat ius ad hereditatem illius.

Explicatur definitio partis.

Adoptare conuenit Deo.

Rom. 8. Gal. 4.

Ephes. 1. Ioan. 1.

1. Ioan. 3.

3.

Solæ creaturæ rationales possunt adoptari.

Adoptiui esse possunt, etiam præsciti, pro eo tempore quo sunt iusti.

Iusti veteris testamenti etiam sunt adoptiui.

Propter

O 2

5.

Propter adoptionem Deus peculiari ratione dicitur pater iustorum, ut ex dictis potest colligi, quia ratione non dicitur aliorum pater, licet generali ratione dicatur pater omnium rerum, quatenus eas produxit & conseruat; interdum etiam vocetur pater peccatorum, quia eos tanquam benignus pater mansuetè tractat & ad se reuocat.

Adoptare
conuenit
toti Trini-
tati, & qua-
re.

6.
Varium dif-
ferentiam a-
doptionis
diuine ab
humana.

Ex dictis patet etiam resolutio articuli 2. cum enim iustificatio sit opus Dei ad extrà; constat adoptare conuenire toti Trinitati.

Notandum quod licet adoptio quâ Deus iustos adoptat, conueniat cum adoptione humana in ratione adoptionis; tamen in varijs extrinsecis ab ea differat, & sit eâ longè nobilior. Nam primò adoptio humana est inuenta in solatium sterilitatis; Deus verò non adoptat ut se soletur, sed ex mera benignitate erga creaturam rationalem.

2. Adoptio humana nihil reale intrinsecum ponit in adoptato, sed solam moralem conditionem: Deus verò adoptat ponendo gratiam iustificantem in anima iusti, quæ est maximum ornamentum per quam anima efficitur confors diuinæ naturæ, & dicitur ex Deo nasci, & per quam non solum dicimur Filij Dei, sed etiam sumus; unde per diuinam adoptionem homo spiritualiter nascitur & acquirit esse diuinum accidentale.

3. Adoptatus adoptione humanâ non potest adire hereditatem ante mortem adoptantis; filius verò Dei adoptiuus si in eo statu moriatur, adit hereditatem Dei etiam viuens, quia illa hereditas potest sine cuiusquam detrimento à pluribus possideri; secus quàm accadat in bonis humanis & terrenis.

ARTICVLVS IV.

*Virum Christum secundum quod homo
sit Filius Dei adoptiuus?*

Resp. neg.

NEGAT, quia filiatio est proprietas personæ, in Christo autem non est alia persona quàm increata, cui conuenit esse filium per naturam; ergo Christus non est filius adoptiuus. Intellegit verò etiam secundum quod est homo. conf. prob. quod potest dici tale per se, non potest dici tale participatiuè.

7.

Ne quidē
natura hu-
mana Chri-
sti potest
dici propriè
adoptata.

Responsione ad 1. indicat non tantum Christum non esse Filium Dei adoptiuum, sed ne quidem naturam humanam illius propriè dici adoptatam, quia *sicut filiatio* (inquit) *propriè non conuenit naturæ, ita nec adoptio*; unde cum natura humana dicitur adoptari, adoptio sumitur pro vnione illius ad personam Verbi.

Responsione ad 2. docet aliter dicendum de seruitute; quòd scilicet non solum respiciat personam, sed etiam naturam, & ideo natura humana dici potest serua, licet non possit dici adoptata. Circa hunc articulum

8.

Christus
est Filius
Dei natu-
ralis.

Notandum Christum reipsâ esse Filium Dei naturalem; cum in eo inneniatur persona Verbi quæ est Filius Dei naturalis: imò eundem etiam existentem in humanitate esse naturalem filium, cum existens in humanitate non sit alia persona à persona Verbi, ut constat ex dictis q. 2. contra Nestorium; & hoc sensu videtur definitum in Conc. Franco-

Conc. Fran-
cof.
Adrian, 2.

fordiensi Christum non esse Filium Dei adoptiuum contra Felicem Episcopum Vrgelitanum &

Elipandum Archiepiscopum Toletanum, videri etiam potest epistola Adriani Papæ & sacrosyllabus in eodem Concilio. si enim scopus tam Pontificis quàm Concilij spectetur, solum volunt Christum non esse dicendum Filium Dei adoptiuum in sensu Nestoriano, & cum diuisione personæ hominis in Christo à persona Verbi; quod, ut notauimus q. 20. agentes de seruitute, videntur sensisse Elipandus & Felix. Et in hoc sensu optime procedunt plurima scripture testimonia, quæ tam in epistola Adriani quàm in sacrosyllabo afferuntur: in eodem sensu optime possunt intelligi varij Patres negantes Christum esse filium adoptiuum, hoc supposito, est

DVBIUM.

*An supposita unitate personæ in Chri-
sto, is dici possit Filius Dei adoptiuus
in quantum homo?*

SUPPONO Christum esse Dei Filium non solum quatenus secundum diuinam naturam procedit à Patre per æternam generationem, sed etiam secundum naturam humanam hypostaticè vnitam Verbo; cum ratione illius vnionis natura humana sit Deo gratissima, & ad esse diuinum euecta; ratione cuius sit ut Christo etiam ut homini competat ius ad æternam hereditatem, & quidem longè sublimius quàm competat vili puro homini ratione gratiæ habitualis sibi inherens, hoc posito Queritur an sit dicendus filius adoptiuus secundum quod homo, an vero naturalis?

Prius asserit Durandus in 3. dist. 4. q. 1. & infirmat esse probabile Scotus dist. 10. q. vnica. & Richardus eadem dist. 10. art. 2. q. 1. & alij.

Posterior communis censent Theologi. S. Th. hic & plurimi alij tam antiqui quàm recentiores, videri possunt citati à Suarez disp. 49. sect. 2. §. dicendum tamen.

Hec sententia est omnino verior; cuius germana ratio est quod persona quæ adoptatur debeat esse extranea, & post adoptionem remaneat extranea, ut pater tam in adoptione humana quàm in diuina, quæ fit per gratiam habitalem: Christus autem persona etiam in quantum hominis non est extranea, cum sit illa eadem persona Verbi, & per consequens naturaliter coniuncta Patri.

Dices est persona Verbi prout subsistit in natura humana, atque adeo in natura extranea.

Resp. inde non efficit personam ipsam esse extraneam, sed tantum naturam, atque adeo non posse inferri ipsam personam etiam ut subsistentem in natura humana esse adoptatam, sed ut summum ipsam naturam (quod tamen infra examinabitur) adoptari, quod non repugnat conclusioni. Ad hanc rationem reduci debent variae rationes quæ in huius sententiæ confirmationem solent adferri.

Ex dictis sequitur 1. in Christo duas esse filiatio- nes naturales respectu Dei, vnâ æternam, ratione æternæ generationis; alteram temporalem fundatam in vnione hypostatica humanitatis cum Verbo & diuinitate; ex ea enim factum est ut humanitati communicaretur esse diuinum naturaliter, id est, in vnitate personæ; & humanitas non solo affectu coniungeretur diuinæ personæ & Deo, sicut adoptatus coniungitur adoptanti.

Dices Christus ut homo non est Deus; ergo ut homo non est Filius Dei naturalis.

Resp.

Resp. negando conseq. quia ut dicatur filius naturalis filiatione illa temporalis, non requiritur ut natura secundum quam dicitur filius sit eadem cum natura eius cuius dicitur filius; sed sufficit, ut illa trahatur ad esse personæ vnitæ naturaliter ei cuius dicitur filius, ita ut etiam in illa natura, secundum quam denominatur filius, non sit persona extranea.

Sequitur 2. Christum per filiationem, de qua in præfati dubio est sermo, non solum respicere primam personam Trinitatis, sed etiam alias; ita ut Christus dici possit filius naturalis etiam Spiritus Sancti; imò & sui ipsius; dummodo ubi est periculum erroris vel scandalum, res apte explicetur; quia cum per illam propositionem, *Christus est filius sui* videatur denotari distinctio personæ, non ita commodè potest usurpari; sed aptius dicitur, *Christus in quantum homo est filius sui ipsius in quantum Deus*; per quam propositionem ratione particularem adiectarum satis euitatur omne erroris periculum.

Similiter ne Spiritus sanctus videatur esse principium Verbi secundum naturam diuinam, non facile dicendum est, *Christus est filius naturalis Spiritus sancti*; sed potius dicendum, *Christus in quantum homo est filius naturalis Spiritus sancti filiatione temporalis*; quamuis illud ipsum non ita commodè usurpetur, ne videatur insinuari Spiritum Sanctum in generatione Christi subijisse munus paternum; cum tantum concurrerit ut creator ad productionem humanitatis in Christo.

Sequitur 3. quod si Pater fuisset incarnatus potuisset eodem modo dici Filius naturalis Dei; item Filij &c. quod similiter de Spiritu Sancto dicendum est; quam ob causam fuit conuenientius Deum Filium incarnari, ne duo viderentur in Deo esse Filij.

Contra resolutionem Obijciunt 1. ex eo quod Deus humanitatem sibi copulauit, nullo modo fuit necessarius ad concedendam ei beatitudinem; ergo Christus in quantum homo non fuit Filius Dei naturalis. Conf. prob. quia filius naturalis habet ius ad paternam hereditatem.

Resp. i. negando conseq. ad cuius probationem dico aliquem non constitui filium naturalem præcisè ex eo quod habeat ius ad paternam hereditatem, sed ex eo quod sit persona naturaliter coniuncta, ita ut illa sit causalis; ideo talis habet ius ad paternam hereditatem, quia est filius; non verò è contrario; ideo est filius, quia habet ius ad hereditatem. unde tale ius potest separari à persona filij naturalis; nam si in aliqua republica constitueretur ut filius nullum ius haberet ad bona paternam, non ideo desineret esse filius naturalis.

Resp. tamen 2. ad antecedens, licet Deus non fuerit absolute loquendo obstrictus dare beatitudinem animæ Christi, potueritque citra ullam iniuriam eam non admittere ad suam hereditatem; nihilominus Christo etiam ut homini beatitudo fuit moraliter de iure, & Christus ius ad illam habuit, idque ratione vnionis hypostaticæ cum Verbo.

Obijciunt 2. Christus habuit gratiam habitualem; ergo fuit filius adoptiuus. Conf. prob. illa gratia alios constituit filios adoptiuos ut supra dictum est; ergo etiam constituit Christum.

Resp. negando conseq. argumenti, similiter & probationis; & dico gratiam habitualement non sufficere ut quis constituatur filius adoptiuus; sed in-

super requiri, ut persona remaneat extranea, seu in super requiri negationem naturalis vnionis cum eo cuius dicitur filius. ex quo patet quod licet eadem specie gratia habitualis sit in Christo & in alijs hominibus, illum tamen non constituat filium adoptiuum, licet alios constituat.

Confirm. gratia habitualis in Christo se habet per modum proprietatis, non per modum formæ dantis primum esse supernaturale: quemadmodum ergo ratione proprietatum superuenientium non mutatur naturalis filiatio, nec censetur accedere adoptiuam; ita dicendum est quod Christus non sit dicendus filius adoptiuus, ex eo quod habeat gratiam per quam alij constituuntur filij adoptiuus. Nec similiter dicitur adoptiuus ex eo quod ratione illius gratiæ ius ei competat ad beatitudinem: tum quia etiam illud ius se habet per modum proprietatis, tum quia filius naturalis non ideo fit adoptiuus, quod patrem suis obsequijs demereatur.

Obijciunt 3. Christus ut homo est creatura; ergo & filius adoptiuus.

Resp. neg. conseq. quia ratio creaturæ non excludit vnionem substantialem cum diuinitate, quam tamen negat filiatio adoptiuam, ut patet ex dictis.

Obijciunt 4. Christus ut homo est seruus prout cum communiore sententia diximus q. 20. ergo & adoptiuus, quia filius naturalis non potest esse seruus.

Resp. negando conseq. ad cuius probationem dico si seruitus designet conditionem vilem, eam repugnare filio naturali; non verò si solum sit conditio consequens rationem naturæ creatæ, ut latius explicatum est loco citato.

Quæri verò potest an saltem humanitas Christi dici possit adoptata. Videtur enim ita dicendum; cum illa sit extranea, & per gratiam seu gratuitum Dei donum sit vnita Verbo & diuinitati: & ita sentit Gabriel in 3. dist. 10. quæst. vnicâ, conclus. 3.

Respondeo tamen negatiuè: ita communius Doctores; cum filiatio sit conditio quædam personalis, quæ proinde non possit proprie tribui naturæ secundum se. Quanquam enim natura dici possit id secundum quod aliquis dicitur filius naturalis vel adoptiuus, ipsa tamen natura non sortitur huiusmodi denominationes tanquam id quod, seu tanquam terminus adoptionis; neque enim dicitur, filia adoptiuam vel naturalis. Confirm. id solum dicitur filius quod est terminus vltimatus generationis; id verò non est natura, sed suppositum.

2. Ut natura dici posset adoptari; ea tamen denominatio non posset tribui nisi etiam post ipsam vnionem remaneret extranea, id est, non vnita naturaliter adoptanti. cum ergo natura humana Christi vnatur Verbo vnione substantiali, & ita sit reipsa Deo naturaliter vnita, non potest dici adoptata. videri potest sacrosyllabus in Concilio Francofurdiensi, ubi dicitur; non adoptauit carnem sed assumpsit.

Si qui dicant carnem vel humanitatem adoptatam, loquuntur improprie, & adoptionem accipiunt pro assumptione, nihilque aliud volunt quam eam sine vllis meritis à Verbo assumptam.

Ex his facile potest responderi ad id quod in contrarium obijciebatur; concedo enim naturam

constituit filium adoptiuum, nisi persona sit extranea.

15.

Obiectio 3.

Resp.

Obiectio 4.

Resp.

Qualis seruitus repugnet filio naturali.

Quæst. Gabriel sentit humanitatem dici posse adoptatam.

16.

Respon. negatiua est communis.

Natura non dicitur filia.

Conc. Francofur.

17.

Si qui dicunt humanitatem adoptatam loquuntur improprie. Satisfactio in contrariis proposita.

18. Licet natura humana sit extranea, non sufficit ut dici possit adoptata.

Quam certa sit praesentis dubij resolutio.

19.

Opinio Vasquez

20.

Hæc Christus ut homo est Filius Dei adoptivus, tantum damnata est in sensu Nestorij.

humanam secundum se esse extraneam & gratuito Dei dono unitam Verbo: dico tamen id non sufficere ut censeatur possit adoptata. 1. quia adoptio non convenit naturæ ut terminus adoptionis. 2. ut possit illi tribui, ad hoc requiritur ut post unionem remaneat extranea; quod de humanitate Christi dici nequit, cum per gratiam unionis hypostaticæ enehatur ad unitatem personæ cum Verbo, & proinde non remaneat extranea Deo. Vltimus dico Christi humanitatem in nullo priori naturæ extitisse non unitam Verbo; cum existimem nullam aliam unionem intercessisse inter humanam naturam & Verbum præter eas quæ intercesserunt inter partes humanitatis & Verbum.

Constituto secundum communem sententiam quod Christus etiam secundum quod homo non sit Filius Dei adoptivus, sed naturalis, quaeritur quàm certa sit ea Scholasticorum sententia: agendo scilicet de adoptione in sensu Scholasticorum, & supposita personæ unitate.

Vasquez disp. 89. cap. 6. censet ita esse certam ut opposita sit hæretica & damnata à Conc. Franciscordensi, quando damnatus est error Elipandis, quod variè conatur ostendere cap. 8. & 9. docetque Elipandum damnatum non quod diuideret in Christo personas, sed quod sentiret etiam in una persona Christum esse Filium Dei adoptivum in quantum est homo.

Porro Elipandum non sensisse cum Nestorio ex eo conijcit quod Carolus Magnus principem Catholicum per litteras sollicitavit ut conuocato Concilio sententia de adoptione Christi approbaretur: quod nullo modo ausus fuisset facere, si Nestorianam hæresim fouisset. 2. quod Patres Concilij longè aliter egissent contra illum si fuisset Nestorianus. 3. quod Patres & Pontifex non adducant testimonia ad probandam personæ unitatem. 4. idem ostendit ex confessione Elipandis.

Communius alij negant, dicentes solum damnatam fuisse illam propositionem, *Christus ut homo est Filius Dei adoptivus*, in sensu Nestorij, seu cum personarum diuisione; & quod Elipandus hæresim Nestorianam docuerit, licet latenter & sub alienis verbis, quod ex pluribus historicis ostenditur à recentioribus; qui id etiam ostendunt ex epistola Adriani & Concilij. videri possunt Suarez disp. 49. sect. 3. & Lorca disp. 84. qui id doctè ostendunt & argumenta Vasquez dissolunt.

QUESTIO XXIV.

De predestinatione Christi.

ARTICVLVS I.

Utrum Christo conueniat predestinationem esse?

I.

Resp. affir.

Quid predestinatio.

NOTANDVM S. Thom. hic simpliciter proponere num Christo conueniat esse predestinatum; seu, utrum in genere dici possit Christum predestinatum, non explicando predestinationis terminum. ad quam quaestionem

Respondet affirmatiuè: quod ut probet, præmittit predestinationem esse diuinam quandam præordinationem ab æterno, de his quæ per gratiam Dei faciendæ sunt in tempore. Nam præde-

stinatio, quæ est pars prouidentie, ut patet ex eodem S. Thom. 1. parte q. 23. est respectu operum gratiæ, hoc præmissis

Prob. conclusio S. Thom. vniò duarum naturarum inter se in Christo est maximum Dei donum, & maxima gratia ex libera Dei voluntate procedens; igitur id ab æterno est præordinatum & prædestinatum; ergo & Christus est prædestinatus. Posterior conseq. prob. prædestinatio vniòne debet censei prædestinatus terminus ex huiusmodi vniòne resultans; qui terminus est Christus, qui est compositum ex natura diuina & humana & substantia Verbi. Conf. hoc compositum non fuit ab æterno, sed per liberam Dei voluntatem incepit in tempore.

Ex discursu factò patet 1. S. Thom. præsentia articulo concludere Christo conuenire esse prædestinatum quoad esse seu existere: quamuis in solutionibus argumentorum quædam misceat quæ ad alias prædestinationes pertineant.

Patet 2. Christum absolute dici posse esse prædestinatum ad esse: quamuis enim ipsum suppositum Christi non fuerit prædestinatum ad esse, seu ut recipere existentiam, utpote æternum & necessarium; tamen compositum ipsum ex natura diuina & humana non est æternum, sed incepit esse in tempore: nomen autem *Christus* optimè sumi potest pro huiusmodi composito, & reipsa sumitur in hac propositione, *Christo conuenit esse prædestinatus*; cum sumatur formaliter, quia actus mentis respiciens aliquem terminum facit ut talis terminus optimè possit formaliter accipi.

Patet 3. idem esse obiectum & terminum prædestinationis quæ aliquid prædestinatur ut sit, ipsum scilicet existere rei.

Quæri potest an sicut dici potest, *Christus est prædestinatus*; ita dici possit, *Filius Dei est prædestinatus* seu, *Verbum diuinum est prædestinatum*?

Resp. negatiuè, quia per talem propositionem designatur quod sit prædestinatum ut Filius Dei sit, seu habeat esse; quod falsum est, cum secunda Trinitatis persona non sit neque habeat esse per liberam Dei voluntatem & præordinationem, sed per æternam generationem. Conf. esse est Filio Dei necessarium & essenziale, unde non cadit sub prædestinationem.

D V B I V M I.

Utrum dici possit Verbum vel Filius Dei prædestinatus ut sit homo?

DVPLEX est hæc de re sententia. Prior negat. Durand. dist. 7. q. 3. Becanus cap. 19. q. 1. concl. 3. & alij.

Posterior asserit, ita plures quos citat Vasq. disput. 92. cap. 3. quos sequitur Suarez disp. 50. sect. 1. concl. 4.

Questio videtur esse de nomine: constat enim Filium Dei nullo modo subiectum esse diuinæ gubernationi, nullamque ei factam fuisse gratiam per hoc quod natura humana illi fuerit copulata: unde nullo modo dici debet prædestinatus ad hoc ut esset homo, si hæc ad rationem prædestinationis requirantur. Potest verò dici si non requirantur, sed ad hoc ut aliquid dicatur prædestinatum, sufficiat ut in tempore ex libera Dei voluntate acquiratur nouus terminus ordinis supernaturalis, qui vniatur subiecto quod dicitur prædestinari, etiam si nulla per hoc gratia fiat ei quod dicitur prædestinari.

Quia